



2b. 15



30.
32.
ILLUSTRISSIMUS
atq; Augustissimus
PRINCEPS AC DOMINUS,
DN. GEORGIUS

Bregensium ac Lignicensium in Sile-
sia DUX

ACADEMIÆ VIADRINÆ
RECTOR

Magnificentissimus;

PRO-RECTORE

Viro Magnifico & Clarissimo DN.

M. CHRISTOPHORO NEANDRO

Philosophiæ moralis Profess.
publ.

AD FUNERATIONEM

Viri honestissimi atq; integerrimi, à candore animi, & promptitudine in rebus agendis apprimè commendati

DN. ALBERTI JORDANI

Patricij & Civis Reip. oppida-
næ primarij

*Ritu Christiano horis pomeridianis peragen-
dam.*

Omnes Reip. literariæ Cives clementissi-
mè invitat.

17 Kal. Febr. An. cIdo IdcXXIII.

Literis HARTMANNIANIS.



Inter alia, quæ prisca Græcorum Sapiencia tenuit ac professa est, dogmata, illud admirabile prorsus ac singulare nobis semper visum fuit: quo assererent, *MORTEM vanum esse sine Re nomen, & rerum nihil interire.* Ad eo pervagata erat hæc olim sententia: ut ipse Hippocrates (at quantus Vir!) suis eam immortalibus monumentis insertam, comprobataque ad nos transmiserit. Hanc post Hermetem Trismegistum, Apollonium Tyanaum, & Platonicos, quorum Dionysius, magnus ille cœlestis Hierarchiæ Scriptor vestigia suis ubiq; libris impressit, multi quoq; Latini amplexi sunt: qui *res nullas perire, sed vel inconspicuas fieri, vel duntaxat alterari aut renovari dixerunt.* Verbis nostris fidem adstruat unus nunc Apollonii ex Epistola ad Valerium Imperatorem locus, sequentibus verbis expressus: *Θάνατος* (inquit) *ἢ δὲ ἐκείνῳ ἢ μόνον κατ' εὐφράσιν κατὰ πρῶτον ἢ δὲ γενεῆς ἢ δὲ ἐκείνῳ ἢ μόνον ἐμφάσιν.* *Nulla ullius rei mors est, nisi tantum secundum apparentiam: ut nec ulla ullius rei sit generatio, nisi specietenus.* Ac ne rationibus defici putes Apollonium, quas juxta apponit, attendito. Nam quod ex *V-SIA*, inquit, *convertitur in naturam, videtur esse generatio: quod autem ex Naturâ in VSIAM; eadem ratione mors: ita ut in rei veritate nihil vel oriatur vel intereat unquam, sed solùm in conspectum quasi prodeat, & postmodò è conspectu se proripiat: quorum illud sit ob corpulentiam materiæ, hoc verò propter subtilitatem usiæ: ita ut res semper sit eadem, differat autem motu & quiete.* Hippocratis mens eadem est: sic enim ait in libro de diata *Ἀπόλυται μὲν ἔν ἑδὲν ἀπίστων ζηνμῶν τῶν,*

των, ἔδὲ γίνεται ὅτι μὴ πρόθεν ἦν. νομίζεται δὲ τῶν ἀνθρώπων
τὸ μὲν γενέσθαι, τὸ δὲ ἀπολέσθαι. Obscuritatis nubilo velata
Apollonii & Hippocratis verba sunt : quæ edisserat
atque elucidet is, cui

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Nobis propositum est, undecunque fructum aliquem &
doctrinæ usum arripere, ac Philosophorum placitis
ita uti; quemadmodum gloriosum Ecclesiæ Catholicæ
lumen Divus Aurelius Augustinus Hipponensis Epi-
scopus præcepit: *ut si quæ vera dixerint, ea tanquam ab in-
justis possessoribus vindicemus in usum nostrum.* Omnem
autem ipse discutit sententiæ hujus caliginem in divinis
de Civitate Dei libris, mente tamen à sensu priscae illius
philosophiæ parumper declinatâ, sic loquens: *Ex quo
quisq; in isto corpore morituro esse cæperit, nunquam in eo non
agitur, ut mors veniat.* Hoc enim agit ejus mutabilitas toto
tempore vitæ hujus: *si tamen vitæ dicenda est: ac omnino ni-
hil est aliud tempus vitæ hujus, quam cursus ad mortem.* Porro
*si ex illo quisq; incipit mori, hoc est esse in morte, ex quo in illo
agi cæperit ipsa mors, id est, vitæ detractio: quia cum detrahen-
do finita fuerit, post mortem jam erit, non in morte: profecto
ex quo esse incipit in hoc corpore in morte est.* Nunquam igi-
*tur in vitæ homo est, ex quo est in corpore isto moriente potius
quàm vivente: si & in vitæ & in morte simul non potest esse.*
Idem in Confessionum libris quasi dubitabundus sic ex-
clamat: *Mortalem dicam vitam, an mortem vitalem nescio.*
Sed prolixiora sunt, quam quæ in hæc angustias cogi
possint, ea, quæ augustissimus Theologus super hac re
doctissimè juxta ac solidissimè passim disseruit: ex qui-
bus tamen liquidò ostenditur, mortem inter & vitam
A 2 discrim-

discrimen esse ambiguum, & utcunque nemo simul tristis & lætus, simul loquens & tacens, simul doctus indoctusque dicatur, tamen morientem eum, qui vivit, & viventem simul etiam mortuum dici posse, vivendoque homines per totam vitam mori, & moriendo vivere. Nulla erga nobis religio sit dubitare, num vivere potius cœpisse, quàm mortuum esse. DN. ALBERTUM JORDANUM ex vero asseverandum sit, illum in cursu suæ vel mortis vel vitæ (hoc enim nobis nunc est in ambiguo) subita corripuit apoplexia, quæ confestim rationis sermonisque usum penè omnem interceptit: ut verè dubios reliqueret eos, qui ipsi aderant, vivusne foret, an mortuus. Brevi tamen compendio ex hac ambiguitate eluctatus ad vitam ex morte, vel si communem loquendi usum præferas, ex vita ad mortem transiit, inque Dei manus animam, quam *non mancipio, sed usu* acceperat, consignavit. Mors, quam vulgus ita vocat, *si lucrum est facta*; ut Paulo; cui nisi mors vita fuisset, & vita mors, nunquam *lucrum* dixisset sibi esse mortem; nunquam à corpore sese dissolutum iri expectasset, imò præoptasset; nunquam sese à Domino in corpore peregrinari dixisset.

Cæterum ALBERTI JORDANI vita omnium oculis ita est exposita: ut rem supervacuum suscepturum videamur: si ab ovo, quod ajunt, ejus natalia, indolem, annorum decursum, & mores operosè copioseq; velimus exsequi. De his n. multa licet dixerimus, plura tamen semper supererunt: quæ viri integerrimi probitatè pietatem, & erga pares, superioresq; gratificandi servandiq; studium palam facere possunt. Attamen hæc omnia

omnia in fidei bonorum & rectè judicantium memoriâ,
quàm chartâ citò periturâ tenacius diutiusq; perman-
sura esse confidimus. Lucis hujus usuram ALBERTO
JORDANO dedit dies mensis Maij decimus, Anni supra
sequimillesimum octogesimi quarti. Suscepit eum Pa-
ter MICHAEL JORDAN (qui tum sali distrahendo in
hac Urbe à Cæsareâ Majestate præfectus erat) Vir expe-
rientissimus ac prudentissimus, ex MARTHA WINSIA
uxore castissimâ, Matronâ virtutum omnium laude
cumulatissimâ: cujus profapiam antiquam & Majorum
claritudinem, numerosamq; Agnatorum & Affinium
posteritatem nemo, nisi nimium incuriosus, ignorat:
eò quòd monumenta & epitaphia in templis, eleemosy-
næ in pauperum usus destinata, & alia complura pieta-
tis argumenta hanc familiam jam pridem notissimam
reddiderint, multosq; ex eâ immortalitati consecrârint.

Viget inter hos vigebitq; imprimis memoria DN.
ALBERTI VVINSII, Consulis hujus Urbis meritissi-
mi, qui nostri ALBERTI Avus maternus erat. Nec mi-
nus lucis habet stirps HELANDORUM apud Vratislaviens-
es percelebris: ex qua Avia materna prodiit, nomine
GERTRUDIS; Filia Nobilis atq; Amplissimi viri DN. E-
RASMI HELANDI, Senatoriâ dignatione clarissimi, & ci-
vilitatis illius quondam Primarii. His Majoribus ac Pa-
rentibus cum prognatus esse. ALBERTUS noster, com-
modam meritò sortitus est institutionem: quæ post ac-
cepta in Baptismo fidei Christianæ auctoramenta, quar-
to statim à nativitate ejus anno, decursaq; infimæ infan-
tiæ teneritudine seriò & cum curâ cœpta fuit, dato ei vi-
tæ morumq; arbitro, non Orbilio quodam plagoso, sed
for.

formatore tenelli pusionis industrio, & ad hujuscemodi ætatem regendam omni ex parte idoneo. Qua in re nullis sumtibus parsum fuit, nec omissum quicquam: quò ad omnifaria vitæ humanæ officia unica illa parentum SPES instrueretur. Egregium sanè institutum: quod multos hodie pudefaciat: qui in replendâ cistâ potius, quàm animis virtute ac bonarum rerum studio imbuendis liberorum fortunam & felicitatem sitam esse arbitrantur. Porrhò cum Pater ejus Anno MDXXCVIII subitâ apoplexiâ (qua & Vitricus Dn. Sebastianus Mittelstrassius ante annos quinq; occubuit) ad plures concessisset: Mater MARTHA VVINSIA, posteaquam in quartum usq; annum ad patientiam laborum domesticorum sola animum corpusq; durâset, nec oneri amplius ferendo esset, ob concatenatas molestias, quas famulitii quotidiana iniquitas & fraudulentia ingerebant, indiesq; aggravabant, secundis tandem nuptiis sese copulari passa est Viro gravi & industio Domino SEBASTIANO MITTELSTRASSIO, Senatori Urbis hujus dignissimo & Mercatori rerum agendarum probè gnaro. Hic quia mariti officium, si generis propagationem spectes, frustra faciebat, ad ALBERTUM nostrum bonis moribus informandum & rectis studiis innutriendum omnem suam curam & operam transtulit: donec ingravescente ætate sua, & laboribus in re domesticâ crebrescentibus, sibi sufficiens, & in partem curarum ac negotiationis adsciscendum eum putaret. Quod cum fecisset, & ille se industrium gnavumq; exhibuisset: ut magna molestiarum mole liberatus in ejus vigilantia, & negotiorum expediendorum dexteritate acquiesce
re

re posset: dedit ei, in fidelitatis quasi ac pietatis præmiũ,
sociam vitæ fortunarumq; Virginem bellissimam &
honestissimam MARTHAM, filiam. Dn. MATTHIÆ
MITTELSTRASSII Civis quondam & Mercatoris
Vratislaviensis, nunc viduam mæstissimam: cum quã
decem annorum & trium ferè mensium vitam, cætera
felicem, prole autem vacuam vixit. In hoc toto peregrina-
tionis suæ, ut Scriptura loquitur, cursu (quem omni-
um oculis expositum esse, ac proinde ambagiosã com-
mendatione opus minimè habere jam diximus) id ei
ferè accidit, quod Cicero ad Q. Fratrem scripsit: *Vt
quisq; est optimus, ita aliàs difficilimè malos esse suspicatur.*
Cum enim ex suo ingenio alios æstimaret, & multos,
qui fortunis ejus imminebant, ac reculas suas ex ejus
promptitudine ac liberalitate locupletare cupiebant,
alacriter juvaret, sensit profectò, magno sæpe sibi isto-
rum talium amicitiam constitisse. *Beatius tamen
est dare quàm accipere: ut Christus ait: & in indignos quoq;
exuberans largitio favorabilior est sordidã tenacitate
hominum plerorumq;: in quibus omnis nunc charitas
refrigit, omnis beneficentia exaruit. PIETATEM præ-
tereà impensè coluit, stans horis precum ordinariarum
exercitia domi quotidie cum suis, obeundo, & destinata
sibi tempora sacre Synaxeos religiosè observando:
quam disciplinam à Parentibus acceptam constanter re-
tinuit, & semper observavit. Sic radicata in ejus con-
scientiã RELIGIO, in morbo quamvis fontico, multis
sefe indiciis evidenter exseruit. Hinc enim factum: ut
licet usus linguæ vix ullus ei remansisset, descriptas ta-
men in pittacio sententias Biblicas nutu, gestu, & vocis*
cu-

cujusdam quamvis admodum impeditæ conatu appro-
baret, seque vivâ inde consolatione affici ac recreari
haud obscure significaret. Sed & paullo ante ultimum
vitæ jamjam defecturæ spiritum, sermonis usum, quam-
vis non diuturnum, per DEi singularem gratiam, rece-
pit. Ibi in verba hæc aliquoties erupit: *In manus tuas Do-
mine commendo spiritum meum*: aliaq; complura sanctissi-
mæ ἀναλύσεως argumenta edidit: quæ vel ex Philosopho-
rum, quos initio laudavimus, sententia non periisse
eum, sed revixisse; ex Theologorum autem censura &
cynosura vitam cælestem consecutum eum esse planissi-
mè confirmant, Cui itaq; divina non defuit gratia: eum
nostro nos quoq; prosequi favore decet, Cives Acade-
mici. ERGO faventes hodie ad fores ejus adeste:
officium erga cognatum, affinem benefactorem, exple-
te: & ad consimilem aleam subeundam vos alacriter,
uti par est, accingite. Pp. 17. Kalend. Febr. An-
no M DC XXIII.

G. F. D.

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021



5b-700

Von 7

MC







30.

ISSIMUS

DOMINUS,
RGIUS

icensium in Sile-

IADRINÆ

TOR

Clariſſimo DN.

RO NEANDRO

alis Profess.

egerrimi, à cando-

line in rebus agen-

JORDANI

meridianis peragen-

Cives clementissi-

1773

ANNIANIS.